PA 8552
.M2 Z97
Copy 1

15.d.

LIBRARY OF CONGRESS
1800

Class _____

Book _____



VITA

PAULI MELISSI SCHEDII.

VITA
PAULI MELISSI SCHEDII

ab

A. R. ET EXIM. P. M. POSSIDIO ZITTER,

clarissimo quondam Gymnasii Münnerstadiani Professore

scripta,

jam in commodum Strahlungensium, qui nocte I. et II. Octob. MDCCCXXXIV omnia sua flammarum vi perdiderunt,

edita a

Dre. JOS. GUTENAECKER,

Gymnasii Münnerstadiani Professore, societatis historiae Circuli Bavariae ad Moenum inferiorem indagandae sodali ordin.

WIRCEBURGI,

Typis CAROLI PHILIPPI BONITAS, Typographi et Comm. Assess.

MDCCCXXXIV.

PA8552
.M2Z97

1480)6
10

L. B. S.

Münnerstadiani Gymnasii Historiam scripturo inter alia, quae liberalitati Prosperi Fritzmanni, A. R. P. Prioris et Parochi hujatis debeo, et commentatio de vita Melissi ab A. R. et Exim. P. M. Possidio Zitter*) scripta mihi in manus venit. Quam ut exararet, Possidium Zitter vetus amicus et quondam in Gymnasio Münnerstadiano Collega ($17^{58}/_{59} - 17^{62}/_{63}$), Engelbertus Klüpfel, celeberrimus in Academia Friburgensi Theologiae Professor, qui singularia in disciplinas theologicas merita et Vita Conradi Celtis, gentilis sui, praeclare scripta,

*) Possidius Zitter Neostadii ad Salam Franconicam 9. Febr. 1723 natus est. Decursis Gymnasii Münnerstadiani spatiis Ordini Eremitarum S. Augustini Oberndorfii 15. Nov. 1741 se addixit, et 25. Febr. 1747 Sacerdos initiatus est. Ab anno 1747/48 ad annum 1792/93 munere professoris in Gymnasio Münnerstadiano summa cum laude fungebatur, cujus Gymnasii Praefectus 1755 in Capitulo provinciali Moguntiae celebrato denominatus est. Senio confectus, Francisco Ludovico, Episcopo Bamberg. et Wirceb. et Franciae orient. Duce, honorificentissimis verbis approbante, et Professoris et Praefecti provincia se abdicavit, ut, quod vitae reliquum esset, procul negotiis publicis in otio honesto transigeret. Ob labores in Gymnasio per XLVI annos laudabiliter peractos privilegiis Magistrorum Ordinis ornatus est. Meritis et annis plenus die 27. Junii 1802 ad meliorem vitam transiit. Historia Gymnasii Münnerstadiani plura de hoc viro optimis studiis dedito narrabit.

non parum auxit, hortatus est. (v. not. 138) Vita Melissi primis lineis circa 1790 descripta, anno 1797 denuo pertractata est; utraque elaboratio manu Possidii scripta extat.

Consilium jam antea initum, hanc commentationem publici juris faciendi, (nondum enim, quod equidem sciam, edita est,) calamitas Strahlungensium, qui nocte I. et II. Octob. a. c. rebus suis incendio sunt privati, maturavit. Quare pauca tantummodo his signis [ ] inclusa adjicere potui; plura enim addere, quamvis in animo esset, vetuit exiguum temporis spatium mihi concessum, vetuit exigua libraria supellex; nam praeter Schediasmata poetica, quae Francofurti 1574 in lucem prodiere, nulla Melisseorum carminum editio ad manum erat. Ignoscas igitur, quaeso, si neque ea, quae recentiores, imprimis Cl. Stumpf, Creuzer aliique de Melisso scripsere, neque indicem editionum integrum (Possidio enim plures editiones plane ignotae erant,) inveneris. Tempore feliciore Melissi vita auctior emendatiorque prodibit. Vale, fave!

Münnerstadii XII. ante Calend. Novembr. MDCCCXXXIV.

Jos. Gutenäcker.

VITA MELISSI.

Ut Franconiae gloriari merito licet, quod saeculo decimo quinto, quo eruditorum in Germania exiguus erat numerus Conradum Celtem[1]) Poetarum recentiorum principem protulerit: profecto etiam est, cur de Paulo Melisso, quem aeque ac Celtem Caesarea munificentia lauro poetica decoravit, sibi gratuletur. Utriusque Franconis vitam et effigiem in eruditionis Germaniae templo,[2]) quod celeberrimus et de re literaria optime meritus Jacobus Bruckerus exstruxit, inveniri, satis notum est. Quae Melchior Adamus, in vitis Philosophorum de Melisso memoriae prodidit, ea se e Simonis

1) Celtes natus fuit Wipfeldae an. 1459, 1. Febr. Lauream a Friderico III. Imp. est consecutus. [Optime de Conrado Celte commentatus est Possidii nostri coaetaneus Engelbertus Klüpfel O. S. Aug.: „De vita et scriptis Conradi Celtis Protucii, praecipui renascentium in Germania literarum restauratoris primique Germanorum poetae laureati. Opus posthumum. Edend. curavit Jo. Casp. Ruef. Editionem absolvit Car. Zell. Friburg. Brisg. 1827." 2 Tomi 4to. Cfr. recensionem lectu dignissimam in: Wiener Jahrbücher f. Literatur. 1829. Tom. XLV. Pag. 141.]

2) Ehrentempel der Deutschen Gelehrsamkeit von Jacob Brucker, Augsburg 1747.

Stenii oratione, qua defuncto condiscipulo suo parentavit, et Boissardi Iconibus hausisse scribit, unde etiam Paulus Freherus,[3] Teissierius[4] et alii, quae de hoc Poeta Franco commemorant, depromsere. Quare actum agere videbor, quod de Melissi vita et carminibus, hoc praesertim tempore, quo Latina fastidiuntur, quidquam commentari audeam. Verum fortasse ex Melisseis versibus, quotquot mihi legere contigit, (omnes enim per varios libros sparsos aut singulatim editos me legisse, nequeo affirmare,) nonnulla proferam, de quibus Bruckerus et alii ante eum non meminerunt. Collegi etiam multa Melissi ad alios, aliorumque ad eundem scripta carmina, in vulgatis editionibus non exstantia, quae partim exigua mea libraria supellex, partim amicorum benevolentia suppeditavit. Illa huic opusculo, nimium ne excresceret, adjicere haud volui. In lucem prodibunt, si amicis literariis a Poesi Latina non alienis consilium probabitur, aut inveniatur typographus vel bibliopola, quem, ut collecta simul edantur, sumtus impendere, non pigeat.

Melissi patria fuit Mellrichstadium Franconiae montanae, ob montes Rhoenanos et Hassicos[5] a Paulo ita nominatae oppidum, proelio inter Henricum IV et Rudolphum Suevum anno MLXXVIII commisso notum; magis tamen virorum doctrina illustrium, quorum foecunda parens olim fuerat, et nunc etiam est,[6] laude nobilitatum. Nam in hac urbe primam

---

3) In Theatro virorum eruditione clarorum. Norimb. 1688.

4) Eloges des hommes savans. Tom. IV.

5) Die Rhön- und Hafsberge, hi orientem, illi occidentem versus.

6) Mellrichstadiani sunt tres Augustiniani, Mühlfeldii appellati, Caprasius Moguntiae [Cap. Mühlfeld nat. 31.

lucem aspexit Martinus Pollichius, a patria passim Mellerstadius appellatus, Philosophiae, Medicinae et Theologiae Doctor, primus Academiae Wittebergensis, ejusdem et Joannis Staupitii Augustiniani consilio a Septemviro Friederico III. fundatae, Rector. Diem supremum obiit caelebs anno MDXIII die vicesima septima Decembris. Ejus frater Valentinus mille aureos Academiae legavit, de quorum fructibus annuis subsidia ferantur adolescentibus ex Pollichiorum familia aut aliis studiorum caussa ibidem versantibus.[7]) Valentini filius

---

Oct. 1740 fuit primum Professor Münnerstadii 1769–1774, dein Concionator Ecclesiae cathedralis et Professor Moguntiae, tum suppresso Moguntino conventu vocatus est Benshemium (an der Bergstrafse) Professor et Director scholarum, ubi 25. Martii 1814 diem obiit supremum.] Eucharius Münnerstadii, [Euch. Mühlfeld nat. 2. Maji 1757, Professor Gymn. Münnerstad. 1783/84–1819/20, obiit Prior conventus Münnerstad. 13. Oct. 1822.] Franciscus Salesius Erfurti, humaniorum literarum Professores. Item Joannes Ignatius Reder Medicinae Doctor. Libri, quos edidit, sunt; Dissertatio de epidemia, ut Mellerstadii se exhibuit. Erford. 1773 4. Der Gasnerische Teufel unter den Handgriffen eines Geistlichen, Arztes und Freydenkers. Eisenach. 1777. 8. Arbeit und Lohn der auf dem Lande angestellten Aerzte. Nebst einem Mönchsbrief und zwey Doctors Gutachten. Frankf. und Leipz. 1789. 8. A Gallis, cum mense Augusto e Franconia fugerent, prope Neostadium 1796 fuit occisus. Ejus Biographiam exhibent die Würzb. Wöchentl. Anzeigen n. 10 - 22. — [Dem Andenken des am 30. Aug. 1796 zwischen Heustreu u. Herschfeld den feindl. Waffen unterlegenen patriotischen Ignaz Reder's, u. s. w. v. Dr. G. C. Siebold, Sulzbach. Seidel.]

7) Frid. Boernerus Med. D. in Commentatione de vita et meritis Martini Pollichii Mellerstadii. Wolfenb. 1751.

forsitan fuit Wolfgangus Mellerstadius, Philosophiae in Wittebergensi Academia Magister, ad quem exstat Hermanni Buschii epistola.[8])

Ibidem nati sunt Melisso coaevi Michael Bernhartus, Abbas ad St. Stephanum Wirceburgi,[9]) et Andreas Mergiletus, triduo ante Paulum in lucem editus, quem sua genitrix lactare cum non posset, in Melissi matris sinu recumbens, eosdem imbibit succos, queis ille imbuebatur.[10]) Mortuus est Mühlfeldae prope Mellrichstadium anno MDCVI, quo venerat anno MDXC, de paroecia Niederlurana, cui annos unum et viginti praeerat, jussu Julii Episcopi Wirceburgensis decedere coactus.[11]) In doctorum Mellrichstadianorum numero eodem saeculo fuit Eucharius Sangius Episcopus Augustopolitanus, Proepiscopus Wirceburgensis, de quo nulla in Melisseis versibus mentio, ea fortasse de caussa, quod abesset a patria, et cum Roma rediisset Wirceburgum, Julio Episcopo in reducendis ad religionem Catholicam Lutheranis strenuum se adjutorem praebuisset. E vita hic Praesul demigravit anno MDCXX

---

8) In Commentario Jac. Burckardi de Herm. Buschii vita. pag. 192.

9) Ad hunc in Melpomene scribit:

Fallor, an ut quondam mea ludrica, sic tibi jam nunc
Seria, quae canto, sunt placitura magis.

Eidem misit

Carmina successus patriae gratulantia faustos,
Quae creat Echterum (Julium Episcopum) sorte
favente Ducem.

10) Meliss. Earinor. L. I. ad Mergiletnm. [Schediasmata. p. 70.]

11) Hennebergicorum Comitum familia anno MDLXXXIII exstincta, pagus Niederluranus (Niederlauer) Episcoporum Wirceburgensium ditioni adjectus fuit. Gropp T. III. pag. 332.

die XI Martii. [12]) Doctis nostri saeculi Mellrichstadianis accensendi sunt Eucharius Simon, Ss. Theol. Licentiatus, Parochus Mellrichstadianus, ruralis, ut vocant, Capituli Mellrichstadiani Decanus, Sigismundus Büttner, Augustinianus, Ss. Theol. Doctor, monasterii Wirceb. et Provinciae Augustinianae quae a Rheno et Suevia nomen habet, moderator, disciplinae monasticae exactor severus. Edita ab eo sunt quaedam opuscula Theologica, de Deo uno, de gratia actuali et habituali, de peccato originali, de Hierarchia Ecclesiastica etc. Vivere desiit anno MDCCXLII *).

Melissus Mellrichstadii, quod Graeco nomine Alphipolim, ab ἄλφι (farina, Mehl) appellat, natus est die Decembris vicesima, anno MDXXXIX patre Balthasare Schedio et matre Ottilia Melissa. [13]) Eos Marte Marchico, sive bello Brandenburgico, quod Albertus Marchio commovit, plurima mala incendiis, exactionibus, hamatisque sponsionum technis passos esse, queritur. [14]) Milites quippe Brandenburgici, qui Swinfurti in praesidio erant, saepe factis excursionibus, superioris sive Rhoenanae Franconiae pagos et oppida dirum in modum divexaverant. In elegidio ad commilitones, de rerum humanarum inconstantia et incendio Jaurinensi, quod anno MDLXVI accidit, loquens ait: [15])

---

12) Gropp T. II. p. 278.

*) [Plura de eo narrat Chronologia Provinciae Rheno-Suevicae etc. ab Antonio Höhn conscripta 1744. p. 359—366.]

13) Quae Pollichios et Mergiletos consanguinitate attingebat.

14) Melissi Emmetron ad Othonem Grynradium, Strophe III. Pater pro aliis spoponderat: ideo bonis omnibus fuit exutus.

15) In Clio.

Sensimus hoc ipsi, patriam cum flamma cremaret
Alphipolim, nostris saeva nocere libris.
Quid querar, heu, libros? aedes, hoc ploro, paternae
In cineres horis tunc abiere tribus.

Dum in Italia erat, patrem ejus vita defunctum esse, Posthius nuntiavit; mater antea jam diem suum obierat.[16]) Ideo ex Italia redux tristis canebat:

. . . . . Quàm diu
Longinquus erro sic procul exteris
Vager peregrinans in oris?
. . . . . .
Nusquam domi sum:
. . . . . Quamquam ubi patrium
Flumen,[17]) Salimve illi propinquum
Aut celebrata fluenta Moeni
Demum revisam; [cujus ad aureas
Ripas ademptorum ossa parentium
Binis quiescunt in sepulcris:]
Quid pretii capiam reversus
Aut commodi? Quae praemia consequar?
In orbe toto (Scis Here)[18]) quantus est,
Nil mi relictum, quod paterno
Dicere jure meum potis sim,
Ac ne quidem unae pulverem arenulae
Quamvis minutae . . . . . .

Obtrectatori cuidam, cujus farinae esset, quaerenti, haud molitorem pistoremve se procreasse respondit; nosse illum lares paternos, et legitimo cubili se esse

---

16) Parodiarum L. I. pag. 358 et 376.
17) Rivus Strey, quem alibi Straeonem vocat.
18) Alloquitur Deum. Meletem. L. IV. Ode I.

progenitum. [19]) Majores suos Regiscuria, qua vada Francoi conspicit orta Salae [20]) et Regiomontio sive Koenigsberga originem traxisse gloriatur. [21]) Hinc matrem filiam Salici fluminis nominat. Patruum Joannem Schedium glande lethifera trajectum occubuisse dolet, caedemque non inultam se passurum esse promittit. Eundem Musarum decus et praefulgidam Phoebi gloriam nuncupat. [22]) Luget etiam hujus filium in Gallia militantem in clade Monconturia peremtum. [23]) Alter patrui filius Martinus signiferi munere in Livonia fuit functus.

Melissi cognomen sibi sumsit, vel quod mater ita nominaretur, dulciusque videretur, quam Schedii vocabulum; vel quod vox Graeca et nomen veteris Poetae, de quo Ovidius L. IV, de Ponto ep. 16,*) praeplaceret, indicaretve, melleos se versus scribere aut scripturum. Ideo finxit, se puerum mellis cupidum in horto materno ab apibus laesum; mox vero lauri foliis a Phoebo sanatum fuisse, Chloridemque sibi dulce Melissi nomen tribuisse, ut florigeras apes imitaretur. [24]) Hujus figmenti, ad Hieronymum Wolfium et Simonem Fabricium Francum scribens,**) pau-

19) In Spinis.

20) Regiscuria oppidum munitum a fontibus Salae Franconici prope abest.

21) In Polymnia ad Julium Episcopum et in elegia ad Montem regium sive Koenigsbergam. [Schediasmata p. 122—125.]

22) In Clio.

23) Ibidem ad Fr. Averlium Eq. qui illi cladi interfuit anno MDLXIX. De ea scribit Thuanus L. 44.

*) [V. 30. Et tua cum socco Musa, Melisse, levis.]

24) In Melpomene de suo cognomento.

**) [Schediasm. in Miscellis p. 139.

Non ego nunc apium sum cuspide fixus acuta,
Nec mea depascens corpora morbus habet.]

cis rursum meminit. Acri vividoque ingenio excellebat Paulus: et jam, cum puer esset,[25]) Phoebum, ut ipse ait,[26]) Phoebique sorores sequebatur, incredibili nempe bonarum artium, Poeseos imprimis, Musices et Graphices amore inflammatus. Aetate progressus, perinde ac Ovidius tanto condendorum carminum studio tenebatur, ut saepe cibi potusque oblitus videretur, et somni suique foret immemor. [27]) Cuidam, quem Helluonem nominat, dicenti:[28]) Mitte leves nugas, (Poesin) quae commoda, quae bona dat hoc studium? Tracta potius communis patriae negotia: his subito ingentes opes accumulantur; se indita naturae semina, respondit, sequi malle, quamvis divina Poesis foret ludibrio. Id nempe maxime cupiebat, id prae aliis optabat, ut esset dulcis Musicus et Poeta suavis. [29])

Praeclaras ingenii dotes et propensum ad literarum studia filii animum cum parentes et amici satis nossent:

---

25) Septennis scholam in patria coepit frequentare.

26) In Melpomene et in Elegia ad Orlandum Lassum [Schediasmata p. 111—113.]

Scilicet huic studio teneris ego semper ab annis
Jucunda volui deditus esse mora.

27) In Elegia ad Elisabetham Angliae Reginam.

28) In dedicatione Epigrammatum e Graeco a se translatorum ad Ludovicum a Saena (Sayn) Comitem Witgenstenium.

29) In Miscellis ad Franciscum Portum Cretensem [Schediasmata p. 138

— — — — Quid ergo tandem
(Icquis) vel fieri vel esse malis?
Nil te celo, poëta musicusque:
At non optimus omnium poëta,
Ut nec pessimus omnium melodus;
Sed saltem (nisi me vetes profari)
Dulcis musicus, et poëta suavis.]

Paulus, quod Wirceburgi nondum Musis domicilium esset exstructum, Erfurtum, utilibus disciplinis ut eruditetur, fuit missus, ubi Christophorum Hofmannum praeceptorem habuit. Inde Cygneam (Zwickau) discessit, Esromo seu Erasmo Rüdigero Pabepergensi (Bambergensi) Joachimi Camerarii genero, linguae Graecae Professori in disciplinam se traditurus. Exstant quaedam Melissi ad Rüdigerum carmina,[30] ubi eum praeceptorem, praeceptorem carissimum nominat. Anno MDLVII contulit se Jenam, ibique Joanne Stigelio[31] in Poesi et Victorino Strigelio[32] in Dialecticis usus magistris, eximios in literarum studiis progressus fecit. Lipsiae etiam Strigelii nectare dulcius eloquium cupidis se auribus bibisse, commemorat in versibus in eum scriptis,[33] cum anno MDLXIX Heidelbergae animam stans exhalasset, annos natus quinque et quadraginta.

Multa eruditione instructus Paulus in loco sibi charo et jucundo domicilium cogitabat figere. Profectus est igitur anno MDLIX Koenigsbergam, majorum suorum patriam, sitam in amoeno loco, et Cantoris munere cum ibidem fungeretur, atque postea cum eo rediisset, a nobili Haspergiorum familia multis bene-

---

30) In Schediasmatis a Valentino Hartung 1625 editis, pagg. 239, 265, 276, 406.

31) Fuit Poeta laureatus, Poeseos et Latinae linguae in Academia Wittebergensi, et postea in Jenensi Eloquentiae Professor. Mortuus anno MDLXII.

32) Natus fuit Kaufbeurae MDXXIV. Jenam venit MDXXXXVIII, Lipsiam MDLXII, discessit MDLXVII. Eodem anno vocatus fuit Heidelbergam, ubi inter manus sublevantium exspiravit.

33) In Polymnia.

ficiis fuit cumulatus.[34]) Inter discipulos, quos in hoc oppido erudivit, fuit Conradus Graserus anno MDLVII [?] natus, e familia Müllerorum, qui in Gymnasio Thorunensi recens tunc erecto linguam sacram et historiam professus, multos fidelissime, quantum per valetudinem licuit, morbo quippe arthritico diu fuit obnoxius, informavit.[35]) Ad annum MDLX Koenigsbergae fuisse commoratum, ex eo colligere licet, quod Casparo Peucero, Philippi Melanchthonis genero narrat, se cum Koenigsbergae habitaret, (Non procul a Moeno dum me juga regia servant) habuisse aedonem, quae totam hiemem cantasset, repente autem verno die, quo illius socer e vita migrasset, mutam conticuisse, et fama hanc mortem ibidem nuntiante lusciniam suam extremum diem clausisse.[36]) Melanchthonem vitae curriculum XIX Aprilis MDLX confecisse constat. In Italiam cum anno MDLXXVII proficisceretur, apud Regiomontanos divertit et in oppidi celeberrimique Mathematici Joannis Regiomontani[37]) laudem Elegiam, quae incipit:

Inclyte Francorum veteri Mons nomine regum *) composuit. In ea civibus, praesertim Haspergiis fausta quaeque precatur; et in duobus postremis versibus optat, ut pura sereni Evangelii vox, quod praecipuum esse

34) Johann Werner Kraus, in den Beitägen zur Erläuterung der hochfürstlichen Sachsen-Hildburgh. Kirchen-, Schul- und Landes-Historie IV. Theil. pag. 30.

35) Melchior Adamus in vitis Germanorum Theologorum.

36) In Melpomene.

37) Joannes Müllerus Regiomontanus, qui a Sixto IV Romam vocatus fuit, ut Calendarii emendationi operam impenderet, a Georg. Trapezuntii filiis veneno sublatus fuisse dicitur.

*) [Schediasmata p. 122–125.]

ait, eisdem semper sonet. Ex quo satis apparet, eum novitiae sectae jam fuisse addictum.

Loci hujus amoenitas et amicorum benevolentia gloriae cupiditate stimulatum retinere non poterant. Quaerebat amplius illustriusque theatrum, ut, quibus excelleret artibus, posset ostendere, innotesceretque viris eruditione florentibus, genere nobilibus, et amicis eruditorum, atque eorum opera ad altiorem, quam Koenigsbergae, dignitatis gradum ascenderet. Quam ob rem in urbe celebri se etiam celebrem et fortunae suae fabrum fore, non diffidens Viennam anno MDLXI petivit. Neque spes eum fefellit. Ingenii enim solertia et versus suaves condendi facilitate brevi nominis celebritatem est assecutus, et in hominum doctissimorum amicitiam pervenit. In Graecis auditor fuit Georgii Tanneri et cum Casparo Cropacio Poeta laureato suo quondam Cygneae condiscipulo vixit conjunctissime. Wolfgangus Lazius arcta familiaritate Melissum complexus suam in eum doctrinam liberalissime transfundebat. Affirmant quidam et inter eos etiam Thuanus,[38]) Lazium jam anno MDLV mortem oppetiisse; sed vero propius est, ad annum MDLXV fuisse superstitem.[39]) Schedium duo praestantissimi Jurisconsulti Georgius Seldius Ferdinandi I Procancellarius, et Joannes Ulricus Zasius, magni Zasii, qui Friburgi anno MDXXXV mortuus est, filius Imperatori et ejus filio Maximiliano II magnopere commendarunt, et carminibus, quae Viennae

38) L. 16.

39) De eo Melchior Adamus in vitis Medicorum Germanorum: Exemtus est rebus humanis Viennae in patria sua anno sexagesimo quinto post millesimum quingentesimum, non, ut plerique perperam, decennio ante.

et alibi vulgaverat, laudatis, ei aditum ad utrumque Principem aperuerunt.

Itaque Caesar Poetae Franconis ingenium ingeniique partus et suavem vocem admiratus, non tantum lauro Poetica judicavit dignissimum,[40]) sed post aliquot etiam annos[41]) nobilitatis jure ac praerogativa ornato tria lilia, olorem et coronam auream galeae impositam dignitatis novae insignia ferre concessit. Exstant in Melissi Lilieto Cygneo multa Graeco, Latino et Gallico sermone scripta amicorum Epigrammata hunc honorem ei gratulantium, qui Caesarem per cygnum carminum et vocis suavitatem, per lilia vitae candorem indicare voluisse existimabant. E quibus duo Joann. Posthii hic adscribere non alienum erit.

Qui cygnum superat cantu, nova lilia mentis
Candore, haec vates signa Melissus habet.
Addidit his auro insignem gemmisque coronam
Caesar, et hae, inquit, carmina digna facis. —
Phoebi munus olor, Charitum tria lilia, magni
Caesaris est capiti fixa corona tuo.
Ter, quater o felix, et vate beatior omni,
Quem decorant donis numina tanta suis.

At non deerant invidi aut maligni, qui ipsum, ceu novum hominem despicerent. Horum dicteria flocci faciens, respondit, non nummis, ut multis aliis, sibi equestrem honorem fuisse partum.[42])

Cum anno MDLXIV Ferdinandus supremum vitae diem explesset, Melissus etiam Vienna discessit, quod animus vagus uno eodemque loco diu eum haerere non

---

40) Anno 1561.
41) 1564 die secunda Maii.
42) In Thrasonem. Clio.

pateretur, nec fortuna votis aspirasset. Pragae cum aliquamdiu fuisset commoratus, rediit in Saxoniam et Wittebergae Paulo Ebero Kitzingensi, Maiori, et Peucero auditorem se praebuit. Winshemii, qui in eadem Academia Graecae linguae Professor erat, Homerum exponentis placitos sonos se cupida quondam aure bibisse, ad Franciscum Portum Cretensem scribit.[43]) Eundem Winshemium in carmine Phalaecio ad Nicol. Reusnerum, senem jocosum, Majorem optimum Poetam vocat, et ut Peuceri domum, niveisque comis Eberum salutet,[44]) in Galliam abiturus rogat. *) Ea in regione dum erat Casparo Peucero Historico scripsit,[45] una si essent, se narraturum, quae in expeditione infelici adversus Turcas ipse vidisset, et quae in civili Galliae bello fierent, seque vicissim ab eo auditurum, quidquid ad Gothae cruentae moenia esset actum.[46]) Quod sperabat, se in hac Musarum sede non inglorium futurum, et ob Pollichios de Academia Wittebergensi bene meritos certo existimabat, haud fore, ut fortuna suae voluntati obsisteret denuo, in animo habebat, vitam Wittebergae transigere. Sed res non, ut speraverat, successit. Alia tamen spes animum consolabatur, Lipsiae se Joachimi Camerarii opera obtenturum esse, quae Witteberga negaverat. E senis hujus, doctissimi-

---

43) In Miscellis. [Schediasmata p. 137.]

44) Non tantum Eberi auditor, sed convictor etiam fuit Melissus.

*) [Schediasm. in Miscellis p. 144.]

45) In Earinis. [Schediasmata p. 79–80.]

46) Gotha, quae Grumbachium et ejus socios receperat, expugnata fuit anno MDLXVII.

que Franconis amicitia et doctrina fructum cepit non exiguum.

Eo tempore, quo Lipsiae morabatur, videtur Wirceburgum literis Friderici Episcopi fuisse vocatus. Tunc enim et jam antea urbs haec gloriari poterat, sibi, licet Academia careret, non deese viros eruditione varia perpolitos. Melchiorem Zobelum Episcopum jam a teneris annis Musas coluisse, Petrus Lotichius eum a militia dehortans testatur. Canit enim:

Sic igitur dulces potuisti linquere Musas,
Martiaque imprudens castra Zobelle, sequi?[47])

Cupiebat praeclarus hic Antistes Musas, quae circa annum MCCCCXIII. Wirceburgo profugerant, revocare; sed variae, quae patriam premebant, calamitates optimum propositum everterunt. Hujus Archiater fuit Johannes Sinapius Swinfurtensis, magno vir ingenio, doctrinaque praestanti, fatis concessit Wirceburgi anno MDLXI.[48]) Ante hunc, anno MDLV, ultimum vitae diem clausit Daniel Stibarus a Rabeneck, Ecclesiae Cathedralis Canonicus, qui ut ingenium excoleret, multamque eruditionem sibi compararet, Italiam, Gallias et Belgium adivit. Ejus tumulo inscripti sunt hi versus:

Conditur hac Daniel Stibarus vir magnus in urna,
Quem merito sequitur gloria, fama, decus.

Maecenatis sui obitum deploravit Lotichius L. III. Eleg.

---

47) L. 1, Eleg. 2. Item Carminum. L. I, 3. [In Edit. 1603. Carmin. L. 1, 5.]

48) Melch. Adamus in vitis Medicorum Germanorum.

6 et 7. Melchioris a Consiliis fuit Michael Beutherus Carolostadianus, Theologiae, Jurisscientiae, Mathematices, Historiae et Poeseos studio clarus. Vitam clausit Argentorati MDLXXXVII.[49] Melchiori impulsu Grumbachii interfecto successit Fridericus a Wirsberg, qui curam summam intendebat, ut juventus Franconica Philosophia et humanioribus literis expoliretur, et necesse non esset, ut in literarum studia incumbendi caussa, migraret alio. Quod ut perficeret, viri nobilitate ac doctrina conspicui eum magnopere incitabant. In quorum numero praecipue videntur fuisse Georgius Flachius Episcopus Salonensis, Proepiscopus Wirceburgensis,[50] et Melissi amici Joannes Egolphus a Knoeringen,[51] Nithardus a Thüngen,[52] Erasmus Neustette-

---

49) Ad eum Melissus in Thalia scribit:

Historias, fastosque tuos et prisca dierum
Tempora, quasque recens condis ephemeridas,
Quando erit, ut videam?

Eundem laudat Lotichius L. IV, Eleg. 1.

50) Ex Ordine S. Benedicti. Mortuus anno MDLXIV. Plura de eo Gropp T. I. pag. 400.

51) Fuit Ecclesiae cathedralis Wirceb. Canonicus et Scholasticus, de quo Gropp T. I. in dissertat. histor. IV. Ad eum Melissus in Galliam digressurus, anno MDLXVII mense Julio Epigramma scripsit, in quo inquit:

Haud me conspicies posthac, nisi Praesul in urbe
Francidos, aut Sueva Praesul in urbe fuas.

Id etiam factum. Nam anno MDLXXIII Episcopus Augustanus fuit electus.

52) Anno MDLXXXXI creatus Episcopus Bambergensis, obiit MDLXXXXVIII. Fuit Academiae Wirceb. Rector Magnificus.

rus,[53]) et Joannes Posthius Friderici et Julii Archiater.[54]) Itaque Friburgo Brisgoiae Caspar Stiblinus et Conradus Dinnerus,[55]) ut per eos bonae literae reflorescerent, Wirceburgum venerunt.

Melissus vero non diu ibi fuit commoratus, aut, licet amici id vehementer cuperent, eo se non contulit, hac fortasse de caussa, quod idem Episcopus Patribus Societatis Jesu juventutem erudiendam commisit, vel, quod verosimilius, a Maximiliano II Viennam redire jussus fuit, quo in loco duobus et quadraginta generosa stirpe ortis et militiae adscriptis tironibus, ut eos disciplinis nobili homine dignis informaret, praeficiebatur. Anno MDLXVI Augustam Vindelicorum indicta erant comitia, ad quae Imperator cum ante alios Principes profectus esset, Melissus eundem est secutus. De quo itinere, in Earinis Augustam alloquens, haec commemorat:

---

53) Canonicus et Senior Eccles. catbedr. Wirceb. Decanus Comburgensis. Comburgi libenter semper vixit, ibi enim se regulum quendam esse, per jocum dicebat. Ubioumque degebat, domus ipsius bonornm ac doctorum virorum quasi publicum erat diversorium. Melch. Adamus in vitis German. Jureconsultorum. De eo Lotichius L. III, Eleg. 2.

Dum te rura tenent densis circumdata silvis,
Coccius (Kocher) herbosis qua fluit uber aquis.

Defunctus est Wirceb. anno MDLXXXXIV.

54) Ab anno octogesimo quinto Principis Palatini Friderici IV Archiater, mortuus Mosbaci anno MDLXXXXVII, inter primos Melissi amicos numerandus.

55) Uterque caedem Melch. Zobeli Ep. Wirceb. descripsit, Stiblinus carmine Heroico, Elegiaco Dinnerus. De iis vid. Gropp in praefat. T. I, C. 2.

Jam non acre gelu, nivesque densas,
Non me poenitet horridum rigorem
Ac saevos Boreae tulisse flatus,
Divi numina Caesaris sequendo.

In laudem ejusdem urbis haec addit:

Salve o imperii columna, salve
Augusta aureola, elegans, venusta . . . . . .
. . . . . Roma tibi superba cedit,
Cedunt Adriacae paludis arces,
Cedunt moenia regiae Viennae. *)

In tam illustri Procerum conventu optatam nactus est occasionem, se non esse de vulgarium Poetarum et Musicorum numero, voce et scriptis prodendi, et Hieronymi Wolfii amicitiam adipiscendi, a quo Joanni Baptistae Hainzelio Septemviro Augustano et doctorum fautori[56]) commendatus est. Inter Melissea melica sunt hendecasyllabi, in quibus viri hujus filiolam multis ornat laudibus, ob quae et alia in Joann. Fridericum et Joann. Henricum Hainzelios condita carmina, cum ex Italia redux Augustam iterum venisset, Hainzeliana familia admodum benificam se erga Schedium exhibuit.

Solimanno Turcarum Imperatore Pannoniam armis infestante, Caesarem quoque in eandem regionem secutus est, adversus Christiani nominis hostem pugnaturus. In Caesareo exercitu etiam militabant duo ejus patrueles, Martinus et Joannes Schedii. Infaustae hujus expeditionis in suis versibus aliquoties meminit,[57])

*) [Schediasmata p. 56.]

56) De hoc Bruckerus in Miscellan. Hist. Philosoph. pag 385.

57) In Melicis, in P. C. [Schediasmata p. 11—12] ad Victo

jam Serinii, morte gloriosa, in Sigethi expugnatione[58]) occumbentis caput mutila cervice revulsum se vidisse, narrans; jam dolens, quod inter tubas, igneos saevi sideris (Sirii) aestus tolerare et nudo sub Jove (noctu) cogatur rigescere; mox glorians,[59]) se sibi laudi ducere, ob patriam in aperto campo occumbere. Carolo Uttenhovio narrat,[60]) in Pannonico hoc bello cadis et poculis certari, maximam militum partem armis Bacchi occidisse sauciam, partem aegram morbida membra trahere, desidia reliquos torpere; et tamen in castris hostium magnum esse metum; si vel eminus in hostes iretur, Thraces terga fugae daturos esse.

E bello in Austriam reduci neque militaris vita placebat, neque aulica.[61]) Utramque pertaesus autumabat, in literaria quiete se posthac victurum jucundius. Ut vero nihil, quod suae utilitati serviret, sibi deesset, Jurisprudentiae operam navaturus, anno MDLXVII in Galliam cum discipulis proficisci constituit. In hoc itinére venit Wirceburgum et Augustam, amicos invi-

---

rinum Strigelium, [Schediasm. p. 6—7] ad fontes Franconiae [Schediasm. p. 5—6.]

58) Sigethum octavo Julii oppugnari coeptum, et octavo Semptembris vi captum est. Mustapha Budae praefectus Serinii caput panno holoserico involutum ad Caesarem perferendum curavit. Thuan. L. 37.

59) In Elegia ad N. Clementem Trelaeum. [Schediasm. p. 115.
Ob patriam sit laus, in aperto occumbere campo;
Mors nec honesta magis, quae venit, ulla venit.]

60) In Clio.

61) In eadem Eleg. ad Trelaeum [Schediasm. p. 115] canit:
Quid juvat, heu, magni sectari Caesaris aulam;
Denique principibus quid placuisse viris?
Num minus idcirco me sors adversa molestat?

surus Knoeringum praecipue, quem praeter spem minime invenit.[62]) Die septima Julii Eslingae, ubi Tübingensis Academia degebat, divertens Martinum Crusium ad cauponam hoc carmine vocavit:

Crusi, Pallodiae decus coronae:
Hospes te novus hac in urbe primum,
Qui nunc Austriaca venit Vienna,
Certus tendere Gallicas in oras,
Vates candidus obsecrat Melissus,
Ad se venias, simulque tecum
Adducas aliquem bonum sodalem
Qui doctas amat et colit Camoenas.
Parvae fercula pauciora mensae
Magnos saepe Deos, Deasque magnas
Non sprevisse liquet. Vale, venique
Crusi, Pallodiae decus coronae.[63])

Erat cum ipso Joannes Lobbetius Jurisconsultus et Musicus organicus praestantissimus, quem bonum interpretem Gallicae loquelae, suumque impigrum comitem nominat, qui dulcibus jocis facetiisque iter jucundum et breve reddidisset.[64])

Lutetiam Parisiorum cum intrasset, post aliquantum temporis in Dionysii Lambini, Joannis Aurati, Petri Rami, Erici Memmii aliorumque doctorum amicitiam penetravit. Hac in urbe frequentiam scholarum, doctos clarosque viros, concursus ex-

---

62) In Epigrammate ad Knoeringum post Melica [Schediasm. p. 54.
Venimus Artaunum Moeni flaventis ad undas;
Urbs tamen inventum te dare Franca nequit. et cet.]

63) M. Crusius in Germanograecia pag. 128.

64) In Earinis ad Lobbetium. [Schediasm. p. 72—73.]

terorum hominum, regiam supremi Senatus magnificentiam videns:

An non in mediis,
ad Auratum scribens exclamat,
rear Pelasgis
Heic me vivere? non Lutetianam
Urbem mirer ut alteras Athenas?[65])

Invisit etiam alias celebres urbes, eas maxime, quae ad Ligerim sitae. Aureliae se laurum plantasse narrat; sermonem etiam facit de ruderibus templorum Aureliensium.[66]) Protestantes quippe anno MDLXVIII quinquaginta aedes sacras in ipsa urbe et suburbio everterant. Ad Posthium mortem Rondeleti lugentem scribit, se ad Ligerim sedentem Eberi, qui anno MDLXIX occubuit, cineres amaris querimoniis deflere.[66]) Sed cum bello civili arderet Gallia et Hugonotarum exercitus, in quo multi Germani militabant, ingenti clade ad Monconturium victus esset, diutius, longiusque excurrere haud licebat, et Catholicis Protestantes persequentibus tutiora erant petenda loca. Se cum Hugone Donello Sancerram celsis arduam collibus profugisse Simoni Gentili indicat.[67]) Joachimo Camerario in Earinis haec: Nos

— — Mars ferus expulit fugatos
Gallûm finibus. O vicissitudo
Improvisa, necessitasque fati
Urgens! o pietas avita patrum;[68])

---

65) Idid. ad Joann. Auratum, Professorem regium. [Schediasm. p. 75—76]

66) In Euterpe.

67) Melicorum L. III.

68) Protestantismus.

Te propter sumus exules, et hancce
Vitam, de capite heu periclitati,
In discrimine vidimus supremo,
Carpentes medios viam per hostes;
Nec diplomata praestitere tutos.*)

Joanni Posthio in Miscellis hunc in modum scribit:

Vivo equidem Posthi, valeoque, rebellis (ut olim)[69]
Gradivi rabidis cedere turbinibus.
Bis tenuit captum Bellona furentibus armis,[70]
Bis mihi libertas hoste favente data est.**)

Rumor interea de Melissi periculo serpebat per Germaniam, ejusque parentes et veteres sodales, Marte per Aquitanas plagas saeviente neci succubuisse, aut veneno exstinctum esse credebant.[71] Tandem incolumis pervenit Vesontionem,[72] et cum ibi tres menses fuisset commoratus, per montem Juram Genevam est profectus.

Lemannus me
canit in Scazonte adversus Germanorum Bacchanalia,
Tuta locatum in parte nunc sui regni,
Nymphaeque Rhodani prodigos voluptatum
Luxus perosae, continent sinu casto.***)

Erant in ea urbe Christophorus Princeps Pa-

---

*) [Schediasmata p. 81.]

69) In bello Pannonico.

70) A militibus Gallis e Charitensi oppido erumpentibus, et Hispaniensibus, qui Dolae erant.

**) [Schediasmata p. 163.]

71) In Melpomene ad Mich. Bernhartum Mellrichstadium.

72) Montosam colo dum Vesontionem } In Earinis [Sche-
Ad Dubis liquidas strepentis undas. } diasm. p. 83.]

***) [Schediasmata p. 44.]

latinus, Petrus Pithoeus, Franciscus Portus, Henricus Stephanus, et multi alii viri docti e Gallia profugi, quos ut alios aliis in urbibus Melissus amicos sibi reddidit, partim jam ante habuit. Degebat etiam Lausannae et in aestate ruri. Vix vero annum integrum videtur Genevae perstitisse.

Spiram anno MDLXX eum pertraxere comitia a Maximiliano II indicta. Hic annus, post quatuor acerbiore astro (Melissi verbis utor) exactas hiemes, sive annos inter bellorum pericula, in Pannonia et Gallia traductos, quintus erat, qui ex voto flueret.[73]) Excellens Poetae ingenium Principibus Palatinis admodum placebat, qui eum Heidelbergae clementissime suscepere atque ad victum necessaria eidem large suppeditarunt. Albo Academico eodem anno fuit inscriptus, Hieronymo Zanchio Rectore magnifico. Friedericus III Septemvir Palatinus jussit eum Psalmos Davidicos in versus Teutonicos traducere et ad melodiam Gallicam[74]) accommodare; quod opus magna cum cura et labore fuit aggressus, Divinique Spiritus opem saepe imploravit. Hoc de negotio ad Jos. Scaligerum ita scribit:

. . . . . nos sacros Nymphas Nicri
Psalmos regis Jesseï

---

73) In Miscellis ad Posthium. [Schediasm. p. 163.
Quatuor ast hiemes exegit acerbius astrum;
Quintus hic, ex voto qui fluat, annus erit.]

74) Claudius Gaudimelus excellens Musicus Psalmos Davidicos vernaculis versibus a Clemente Maroto et Theodoro Beza expressos ad varios et jucundissimos modulationum numeros aptavit. Thuan. L. LII. Gallum hunc Musicum laudat, et anno 1572 interfectum deplorat in Melpomer Melissus.

Lyra jubemus Teutona sonare, quos
Bezae Melpomene prius,
Quos et Maroti Gallicas Libethridas
Arguta docuit fide.
Inusitatum molior quidem meis
Francis [75]) tendere barbiton,
Normam sequutus et modum non antea
Ullis hercule cognitum. [76]) . . . . . .
Accedit bona principum
Favoris aura, quae benignos haud meis
Ventos denegat organis.
Ad haec piorum crebra me suspiria
Et linguis animant suis. [77])

Ad Fridericum Principem:

Nervos tendam omnes, cunctas expromere vires
Impiger, et totas pandere mentis opes. [78])

Quinquaginta priores in lucem dedit anno MDLXXII hac inscriptione:

Die Psalmen Davids in Deutsche Gesang Reymen nach Französische Melodey, und Silbenart, zusammen gebracht von Melisso. Samt dem biblischen

---

75) Dum de Francis loquitur, id non de Francis tantum ad Moenum et Salam, sed ad Nicrum et Rhenum etiam habitantibus intelligendum est. De Francia Rhenensi vid. Christoph. Kremers Geschichte des Rheinischen Franziens. Mannheim 1778.

76) Antiquiores versiones Caspar: Ammani Augustiniani 1523. August. et Ottmari Nachtigalli sive Luscinii 1524. Ibid. erant prosaicae. Vid. Bruck. Miscellan. pag. 302.

77) In Miscellis. [Schediasm. p. 164.]

78) In Calliope.

Text, auch jechlicher Psalmen kurzer Innhalt und Gebettlein. Heidelberg. 1572 in 8.

De his ad Frid. Ducem scribit:

Eccistos, uno quos jam perfecimus anno,
Excusos nitidis, Dux Friderice, typis.[79])

Ad textum Hebraicum rite intelligendum opera Immanuelis Tremelii usus fuisse videtur.

Prima mei cursus (scribit ad eundem[80]) fixam via tangere metam
Quivit, in Hebraeis, te praeeunte, locis.
Tramite ne medio me desere. Pergo Tremelli
Te pergente simul, teque morante moror.

Objecerat invidus quidam, decem, dum opus absolveretur, annos elapsuros, aureos propterea montes a Friderico dari somnians. O utinam, facete respondit vates, vere somniet!

Sponte mea gratis magnos exantlo labores;
Sponte tua (Friderice) gratis praemia magna dato.[81])

Supremam operi imponens manum gloriabundus ad Jacobum Kimedoncium scribebat:

Finio Jesaeae divina poemata Musae,
Teutona sublimi facta, Jacobe, lyra.
Musa mihi haec eadem nomen sine fine propaget,
Optas. Haud vani nominis augur eris.
Audivere chelyn Byzantia moenia nostram,
Et Narbonaeae littora Massiliae:

---

79) In Epigrammatib. quae Musis adjicienda, ad Principem illustrissimum.

80) In Calliope.

81) In Epigrammat. quae Musis etc.

Nobile Londinum, mixtaeque Cracovia linguae,
Attenta psalmos aure bibere meos.
Dat mihi victricem vivo Germania palmam,
Transcribens alto nomina nostra polo.[82])

Eodem tempore Ambrosius Lobwasserus Schnebergensis psalterium Davidis rhythmis Teutonicis secundum numeros Gallicae versionis ad veritatem Hebraicam proxime accedens transtulerat. In utramque Ambrosii et Pauli translationem Carolus Utenhovius, Melissi amicus, ad nomina vatum alludens, quaedam tunc edidit Epigrammata, in quibus Lobwassero praefert Schedium, canens:

Plus et aquae laudator aquae, mellisque Melissus
Contulit in Psalmos, mi Redigere, suos . . . . .
Potet aquam, qui laudat aquam; mihi mella Melissi
Potanti mulsum, sunt mage grata, merum.[83])

Longe aliter Poeta, qui Lobwasseri anno MDLXXXV Regiomonti mortui vitam carmine Elegiaco descripsit, judicat in his versibus:

Hos (Psalmos) adeo Elector Rheni laudavit, ut ipsos
Cantare in templis jusserit usque suis.
Vera loquor, Schedium quendam conduxerat idem:
Ut Psalmos tali redderet ille modo.
Sed jam lapsus erat completis mensibus annus;
Transtulerat Psalmos quando Poeta duos.
Prodiit interea senis hujus psaltria Musa,
Et rarum, et magnae sedulitatis opus.
Ille, quod optavi dudum, mihi praestitit auctor,
Insignem, dicunt, tunc retulisse Ducem. (Fridericum III)[84])

---

82) In Spinis.

83) In appendice Miscellorum.

Comprobavit hoc judicium etiam posteritas. Lobwasseriani rhythmi saepius recusi fuerunt; Melissi rarissime inveniuntur.

Non tantum ob translatos Psalmos, sed etiam ob candidum et fidum animum, mentisque sagacis vim magni ab Electore Palatino aestimabatur Schedius. Quare factum est, ut ab eo cum Legato Ducis Alenconii ad Maximilianum Imp. et Imperii Principes mitteretur. Sed cum anno MDLXXVI mortem oppetiisset Fridericus, acris iterum cupiditas, peregrinas regiones peragrandi animum incessit. Heidelbergam igitur et Germaniam valere jubens anno sequenti transivit in Italiam, non tanto studio ac desiderio, ut urbes antiquitate ac aedificiorum splendore nobiles videret; quanto, ut viros fama et doctorum literis celebratos, praesertim Achillem Statium, Alexandrum Piccolomineum, Carolum Sigonium, Fulvium Ursinum, Herculem Ciofannum, M. Antonium Muretum[85]), Paullum Ma-

---

84) Exstant hi versus apud Melch. Adamum in vita Lobwasseri J. U. Doct. Principis Borussiae Consiliarii et Professoris. Fuit natus anno MDXV, mortuus MDLXXXV.

85) In Calliope de Mureto haec canit:

Maxima Roma quidem; Papa maximus; ast in utroque
(oratione soluta et ligata)
Major et es Roma, major et ipse Papa.

Ibidem de Petro Victorio et Paullo Manutio:

Sedis Romuleae duo patroni,
Antiquae fidei duae columnae,
Petrus scilicet atque Paulus urbe
Celebrantur in inclitâ Quiritum.
Hunc Petrum mihi fas sit, huncce Paulum

nutium, Petrum Victorium aliosque salutaret, ad eorum amicitiam adscriberetur, bibliothecas libris optimis refertas perlustraret, novisque doctrinae incrementis dives in patriam rediret. Mansit in Italia usque ad annum octogesimum, diutius Romae et Petavii, quam alibi commoratus. Romae quotidie erat in bibliotheca Vaticana, Petavii audivit Tiberium Decianum, Joannem Cephalum, et Jacobum Menochium Jurisconsultos, oratoremque Riccobonum et alios. Ibidem anno MDLXXIX die XXII Octobris Comitis Palatini, Equitis aurati, civisque Romani titulis et honoribus, quos quidem non ambiit, solemni actu per Ferrandum Amadium fuit insignitus. In Parodiarum L. II naufragium in Italia se fecisse, ac ope asseris servatum fuisse, innuit:

Gaudete o socii (canit) et boni sodales
Et quantum est Italûm modestiorum:
Asser me incolumem ex mari reduxit,
Asser naufragii mei tabella.

In celebres Italiae urbes Epigrammata composuit, quae cum ejusdem Odis anno MDLXXXV fuerunt impressa.

Discessurus ex amoena hac regione proposuerat, non in patriam protinus reverti, sed facto per Galliam itinere, toto divisos orbe Britannos adire. At cum in via esset, deflexit a proposito, et per scrupearum Alpium cacumina remigravit in Germaniam, atque eo se contulit,

— ubi Vindelicos bifidus Lycus irrigat agros,
Et vetus Augusti moenia nomen habent. [86])

Celebrare plagas per orbis omnes,
Linguae Romuleae duos patronos;
Antiqui Latii duas columnas.

86) In Elegia ad Orlandum Lassum, Musicum excellentissimum. [Schediasm. p. 111.]

Quem amici et imprimis Hainzelii in suis aedibus humanissime exceperunt. Augusta digrediens Norimbergam petivit, gaudens, se varios casus in provinciis exteris et propioribus perpessum tandem in Franconiam rediisse, postquam quinque lustra patriis penatibus abfuisset, ut Melicorum L. V,[87]) qui laudes hujus urbis et Septemvirorum complectitur, commemorat. Anno MDLXXXI in eadem urbe edidit carmina Caspari Cropacii Bohemi, patria Pilsensis, quem in Earinis perveterem sodalem nominat.*) Anno MDLXXXII non in Britanniam, ut quidam scribunt,[88]) abiit, sed Augustae, dum comitia habebantur, iterum fuit, ut Principibus, qui conventui intererant, se commendaret. Anno MDLXXXIV Norimbergae degebat, id quod ex epistola ad M. Crusium eodem anno die XVIII ab ingressu solis in aquarium scripta[89]) patet.

In animo ei quidem erat, in Francide Eoa cum viris bonis et piis melioris et quietioris vitae tempora demum transigere;[90]) sed a proposito inani vehemens, alias atque alias terras pererrandi desiderium animum

---

87) In Oda ad Franciam Orientalem.

*) [Schediasmata p. 57.]

88) Melch. Adamus in vita P. Melissi, et ex eo P. Freherus in Theatro virorum eruditione clarorum, Lexicon histor. et georaph. Basileense etc. At censendum, typographi potius, quam biographi erratum esse, scribendumque 1585. Narraverat enim paullo ante, Melissum anno 1584 venisse in Galliam et anno sequenti sua Schediasmata edi curavisse.

89) M. Crusius in Germanograecia pag. 132.

90) In Oda ad Franciam Orientalem.

dimovit, et rursus in Galliam anno MDLXXXIV traxit. Coepto itinere, Boissardum, veterem amicum invisurus, ad Metensem urbem deflexit, et hinc Lutetiam profectus est. Illic in hortis suburbanis Baifii aedes commodo et amoeno domicilio usus, poematia sua, quae jam anno MDLXXIV Francofurti vulgaverat, iterum ut ederentur operam dabat. Nova haec et locupletior editio in duobus voluminibus anno MDLXXXVI prodivit.

Elisabetham Anglorum Reginam, quod viros doctrina florentes amaret, saepe laudaverat, et jam in Britanniam post suum ex Italia discessum navigandi consilium animo agitaverat; quod vero, ut supra diximus, mutavit. Eruditae Reginae placuerant versus, quos in ejus laudem cecinerat Melissus, atque ideo Francum Poetam, in regnum suum ut veniret, invitavit. Is igitur Galliam relinquens, e portu Diepensi in Angliam navigavit, et Reginae sua poemata obtulit, quem ipsa magna comitate excepit, et singulari, dum in regno degebat, benevolentia et honore prosecuta est, ut ad felicitatem Paulo nihil nisi uxor deesse videretur. Continuo enim in eum conferebat beneficia, et hominem arte poetica et musica excellentem in regno suo retinere statuerat, promittens, si quem gratum sibi, quo habitaret, locum elegisset, omnia, quae vellet, liberalissime se esse largituram. Sed plus valuerunt patriae amor et amici, ut in patriam rediret, suadentes. Quam ob rem postquam celebres Angliae Academias Oxoniensem et Cantabrigiensem comite Hieronymo Groslotio inviserat, abeundi veniam a Regina petivit, eaque impetrata in Galliam navigavit, ubi salutato in urbe Bituricensi Jacobo Cuiacio, quem scitum

juris, arbitrum legum sacrarum,[91] Astraeae redeuntis antecessorem, Themidosque restitutorem[92] nominat, Lugdunum adiit et inde per Helvetiam continuato itinere Heidelbergam pervenit. Quamdiu in Anglia fuerit commoratus, non satis liquet; anno MDLXXXVIII Heidelbergae fuisse, ostendit Emmetron ad Othonem Grynradium, quod eodem anno scripsit.

De suo in Germaniam reditu, Casimiro Friderici III filio et Electoratus Administratore invitante, in praefatione ad Meletematum piorum libros haec scribit: Is (Casimirus) me, cum secunda, imo vero tertia vice, postquam ex Anglia in Celtas renavigatum esset, in tumultus Gallicos a nefaria illa furiosorum hominum conspiratione excitatos incidissem, mediis ex aestibus ereptum in Germaniam literis suis evocavit. In hunc igitur modum tandem stabilem instabilis Poeta nactus est sedem. Magna apud Casimirum Frid. IV patruum positus erat in gratia. Bibliothecae antiquis libris opulentae praefectus luculento fruebatur stipendio. Queritur quidem, quaestore annua stipendia numerante, chartam turgere levi cupro, ideo se pro cupreis nummis cuprea metra canturum; prius e silice se lymphas expressurum, quam ab aula precibus discutiantur aera; proprii aeris ope sumtum se fecisse, nisi mature pacta pecunia daretur, necesse fore, ut Judaeos adiret, mutua sumturus.[93] Sed hoc alio tempore, forsitan sub Frid. III videtur contigisse.

Hujus filii fuere Ludovicus IV, Friderici

---

91) In Miscellis ad Josephum Scaligerum. [Schediasmata p. 165.]

92) In Earinis ad Jac. Cuiacium. [Schediasm. p. 103.]

93) In Terpsichore, ad Principem et ad P. D.

IV pater, Casimirus et Christophorus. In horum laudem Melissus scripsit sermone vernaculo Epigramma acrostichum,[94]) quod ceu specimen Poeseos Melisseae Teutonicae apponere libet.

Loebliche Herrn	Koenigli	Ches geblüts,
Vraltes Stams	Aus Fraenckisc	Hem herkommen,
Dis Werck[95]) besorgt	Sich aus	Rath treues gemüts,
Ohn euer Liecht	Iemals ans L	Iecht zu kommen:
Verhoff ihr werds	Mit eurem	Schein erleuchten.
Ist nicht eur Preis,	In Teu	Tscher Nation
Clar wie Davids	Rümlich L	Ob zu Sion?
Vnd euer Glantz	Vntern	Pfaelzischen Leuchter
Schimmert wie 3	Stern an sc	Hoen Orion.

Latine noster Poeta hanc acrostichidem ita vertit:

Laudibus insignes	Caroli Fran	Coa propago
Vsque perantiquis	Atavorum	Heroes ab annis,
Davidicus liber hic	Sine vest	Ra luce veretur
Ob suasus fidos	In lucem ex	Ire vel unquam:
Vestro spero equide	M reddetis	Sole coruscum.
Inclyta nonne trium laus	In Germanide	Terra est
Clara velut Solymi	Regis dec	Ora alta Sione?
Vestra Palatinus q	Voque gloria lam	Padas inter
Splendet, tergeminis	Stellis ut	Honorus Orion.

Graece transtulit Utenhovius, Gallice quidam Melissi amici eodem modo in acrostichis ludentes.

In Meletematum L. IV est pia admonitio Ludovici IV Electoris[96]) ad Filium Frid. IV, quam e

94) In Urania.

95) Psalmi Davidici a Melisso translati.

96) Mortuus est anno MDLXXXIII.

Germanico Latine vertit Paulus. In Casimirum, quem pater cum Petro Beuterichio [97]) et copiis auxiliaribus in Galliam miserat, et quem Melissus fortissimum constantissimumque Principem ob res tam pace quam bello praeclarissime gestas in praefatione Meletematum nominat, inveniuntur in ejusdem Odis Palatinis et Epigrammatibus nonnulla carmina, e quibus locum hic meretur Ode VI, qua huic Principi gratias agit de structura Musei Bibliothecae contigui.

Heros avitis inclyte laureis,
Tuisque bello, Marteque proprio
Factis per annorum ferentem
Continuam diuturnitatem:

Quam perbenignam me tibi gratiam
Habere par est, Dux Casimire, quod
Ex Galliarum (testis exstat
Litera) me mediis procellis

Ereptum, et in tuto ad virides Nicri
Ripas locatum praesidio tuo
Munis? Parumne est, singulari
Hoc tibi me meritum favore

---

97) De hoc Melicorum L. I [Schediasm. p. 20.] canit:

Te turbulentae militiae rigor
Non auspicatis, Petre, furoribus
Bis (vae Camoenis) implicatum
Sanguinea nece territarat . . . . . .
Praeda supellex heu tua cesserat;
Quom percruento Marte duellica
Passim recrudescens Erinnys
Gallica conscleraret arva.

De eodem Beuterichio vid. Melch. Adamum in vitis German. Jurisconsultorum.

Debere? Tu plus plusque mererier
De me ac Camoenis . . . . . inertibus
Non prorsus, aut pigris triumphi
Ad decus omne tui canendum [98])

Gazam librorum vix numeralium
Mi credidisti. Nunc quoque construi
Insigne Musaeum decenter
Auspicio meliore justi

Phoebo decorum: caeteraque insuper
Nec denegabis, nec reor abnues
Regalium ornamenta rerum
Quae faciunt operi inchoato,

Quod laude dignum est, non modo convenit
Dextre auspicari, verum etiam expedit
Sollerter absolvi. Perennat
Finitimam stata meta laudem.

In Ducis hujus obitum anno MDLXXXXII Parentalia Heidelbergae edidit. In Christophorum, quem suum jubar appellat, plura supersunt in Schediasmatibus Epigrammata. De hoc ejusque sorore ita canit:

Caerulei degens ad stagna beata Lemanni,
Optime Dux, atavis edite Caesaribus,
Nexa Palatinis manibus, gestanda Poetae
Ultro danasti laurea serta comis.
Aurea nunc gesto prope Nicri Musicus amnem
Serta, Palatinae pollice nexa Deae.

---

98) In Emmetro;

. . . . . Tunc, tunc Casimirias
Laetis auspiciis inchoanda est.

Quam bene dividitis, frater dum carmina lauro
Munerat, ast auro cantica nostra soror.[99])

In alio Epigrammate[100]) lauream hanc coronam aeque sibi gratam fuisse, testatur, ac eam, quae Caesaris munere suum cinxerat caput. Eidem Principi optavit, ut fieret dominus, quam lata paterent locupletis Franconiae culta jugera a geminis Moeni fontibus usque ad tricornis Rheni aquas, et tunc fore, ut a munifico Duce esset resque locusque Poetae.[101]) At neutrum ab eodem, quem in Elegidio in ejus mortem scripto[102]) cordatissimum Principem vocat, armis nimirum perdito consecutus est; obtinuit vero utrumque a Casimiro.

Cum igitur in portu saepius exoptato tandem quiesceret Melissus, commode in suburbana inter salutares hortos domo[103]) habitaret, et cum viris doctissimis Joan. Posthio, Marq. Frehero, Frid. Sylburgio, J. Obsopoeo, J. Leunclavio, Jano Grutero et aliis familiariter et jucunde viveret, Posthius cum reliquis amicis eum hortabatur, ut tandem aliquando uxorem, quam saepe sibi optavisset, duceret. Omnia, quae de suavissima et mellitissima Rosina in suis poematiis frequentissime canit, quam

---

99) In carminibus, quae Musis addenda.

100) In Melpomene.

101) Addenda Musis in Calliope.

102) Epigrammata Musis addenda.

103) In Meusel's Hist. liter. biograph. Magazin 3t. Stuck haec de ejus domo: der berühmte Dichter Paulus Melissus hatte auch einmal ein Haus gekauft, und darüber an einen Freund geschrieben: Mira mirorum! Poeta emit domum.

natam magna domo ait, et sibi e bello reduci armillas, amoris pignus, dedisse refert,*) quam, ut veterum Poetarum suas Lesbias, suas Cynthias laudantium vestigiis insisteret, perinde ac perdite amans aut coeco amore maceratus laudibus immodicis celebrat, omnia haec, inquam, fuere ficta.

Quae sit illa Rosina nostra, scribit ad Carolum Utenhovium,[104]) quaeres,
Nulla est, Carole, nulla: ficta plane est;
Veros dum nequeo sonare amores,
Fictos interea sonabo amores;
Nullos ne memorer sonare amores.

Tantum per somnium, Koenigsbergae in Franconia cum anno MDLIX esset, visa fuit haec Rosina.[105]) Hinc quandoque de quinque lustris, de tribus quinquenniis anno MDLXXIV, quo Myrtilleti sive Heidelbergae erat, loquitur.[106]) Posthio etiam in Meletematum L. IV somnium narrat de virgine sibi per Angelum ad Jordanem stantem in matrimonium tradita.

Uxori, quam amicorum monitis persuasus, quatuor et quinquaginta annos jam natus duxit, non Rosinae, sed Aemiliae nomen fuit. Hanc Ludovici Jordani J. C., qui cum viveret, a Consiliis Palatini Principis fuerat, filiam, dicit, probam esse, castam,

---

*) [Schediasm. in Earinis. In armillas. p. 67–68.]

104) In Erato.

105) In Elegia ad Montem regium: [Schediasm. p. 124]
— — Mons, in quo per cornea somnia visa est
Virgo futura meis praeda Cupidinibus;
In quo fatidicis oracula digna Sibyllis
Sunt mihi non vana certa relata fide.

106) In Spinis.

bona natam matre, perdocto bonoque patre, licet dos ampla non sit. Ut felix faustumque sibi hoc esset conjugium, ut veneficarum incantamenta averterentur, nascentique filio lucerent sidera, Deum precatus est, eadem, qua amicus Hier. Wolfius de fascinationibus et horoscopo imbutus opinione.[107] Nuptias gaudio pompaque celebriore die XXIV Septembris anno MDLXXXX fecit. Filium ex ea natum nuncupavit Aemilium, pro quo, cum sacro baptismate abluerentur, Volratus Plessenus Ducis vicem gerens sponsor factus est. Gaudium quod ex hoc partu concepit, haud diuturnum fuit. Infans enim praemature fatis concessit, et pater maximo moerori se dedit. Nova deinde tristitiae caussa morbus accessit, quo menses jam duos, eum Oden XII Melet. L. V componeret, decumbebat infirmus et adeo debilis, ut vix ora in verba hiulca posset resolvere. Melet. L. VI. [Carm. XIV.] eundem lugubribus metris describit:

Febrium querquerus ardor
Mihi pectus adussit male, nequiterque corpus
[Sic] debilitavit, [capitisque turbulenti
Sensûs; ut adhuc vix mihi restitutus ipsi
Hodiè videar.] Rheumata quid gravedinemque
Jugesque catarrhos; quid apostema sinistrum
Tussesque malignas referam; ventriculique
Crudas hiemes, saevaque viscerum crepantum
Tormenta, quibus discrucior nocte dieque,
Insomnis agens, et vacuus Soporis almi?
Pallor croceus cum macie cutem colorat
Auriginis instar; . . . . . .

---

107) Bruckeri Miscellan. in Synopsi vitae Hieron. Wolfii.

[et Melet. L. VI, Car. XVII.]

Quid juvat plenos vacuasse fundos
Pyxidum? Quid sumpse, Melisse, potus,
Sumpse clysteras? Liquidoque inunxe
Pectus et ventrem scapulasque olivo;
Si dolor mordax nihil heu remittit,
[Si minus longo relevare morbo?
Quippe crudescit, prohibetque palmas
Languidas siccis adhibere labris,
Verticique alto.] Resoluta nervis
Brachia, infractosque gero lacertos
Colicus, dire genua atque crura
Scissus oppletusque tumore talos.
[Quid juvat fontes acidos bibisse
Sualbaco allatos?] Videor pol omnem
Frigido deplesse liquore Lethen,
Omnium oblitus miser, ante quorum
Mente jucunda meminisse sueram.

Conjugem, jam jamque sibi mortem imminere putans, Duci commendavit et Constantino Zopyro legavit his versibus:

Commendata
Siquidem nostro est illa Tetrarchae
Non permaneat viduo in lecto
Semper . . . . . .
[Iterum nubat.] Nam florente
Aetate viget, qualis in horto
Viridis laurus, [vel oliferae
Palladis arbos.] Si libet ergo,
Duxeris illam. Nam tibi lego
His inque manum trado papyris,

Ut non modo vir, sed pater illi
Sis . . .[108])

Non tamen spem omnem abjiciens, Deum rogavit, ut restitutae debili senectae prorogaret terminum eum in finem, ut sospes posset finire inchoata opuscula et ultimam limam suis psalmis rite addere. Et cum paullatim revalesceret, ab amicis et admonitus et persuasus a piis Meletematis potius, quam ab aliis quibuscunque, quorum haud mediocris copia erat reliqua, exordiri maluit. Multas ex his meditatiunculis, quae in editione Parisiensi carmina sacra nominatae sunt, jam ante composuerat, distribueratque in libellos. Multa novae editioni anno MDLXXXXV inserta sunt, ea maxime, quae de Frid. IV, de sua uxore, de filio, de morbo canit, et in prioribus editionibus non reperiuntur. Octo meletematum libris subjunxit aliquos psalmos Latine a se versos, qui Buchananicis multum cedunt. Sequuntur Paraeneticorum libri duo, quorum gustum aliquem Frid. IV adhuc impuberi dedit, et quos nova subinde accessione auxit; demum Parodiarum libri, duo etiam, quibus subjunctum est Emmetron ad Othonem Grynradium. Hanc collectionem tradidit Hieron. Commelino Francofurti excudendam. Pollicitus quoque est, opuscula, quae Palatinae domus laudes continerent, si vita et valetudo sibi suppeteret, in lucem proditura. E quibus statuendum est, Melissum non consenuisse in turpi desidia.[109]) Ferunt

---

108) Melet. L. VI, Carm. XV.

109) Posthius extremum diem procul haud esse scripserat ad Melissum:

— Quid ingenio tantos perferre labores,
Quid prodest famae nomina tanta sequi?

quidam paucos eum habuisse auditores, aditumque ad bibliothecam petentibus raro dedisse. Annus, quo aegrotaverat, fuit ipsi climactericus. Hos annos timebat ceu sibi fatales astrologiae divinanti deditus. Laetus ideo canebat:[110])

Jam nobis iterum, (bonum sit, opto)
Quanquam non sine maximis periclis
Climactericus est peractus annus.
Fatales numeri, quibus regendum
Vitae curriculum dedit supremus
Naturae sator.

Is annus, ut conjicere licet, fuit sexagesimus septimus supra millesimum et quingentesimum, quo Galliam intestinis dissidiis distractam jam adiverat. Annum tamen illum, qui multis viris genere ac doctrina claris postremus fuit, non peregit. Anno quippe MDCII mense Februario[111]) annos tres et sexaginta natus catarrho repente suffocatus vivere desiit, cum paucis ante diebus orationem Dominicam, Symbolum Apostolorum, cantica Mariae et Simeonis versibus Teutonicis transtulisset.

Quae mare, quae terras, quae flamma cremabit Olympum,
Illa etiam exitio carmina nostra dabit.
O valeant Helicon et inania numina Musae.

Eidem Paulus respondebat:

Exuere ergo jubes naturam prorsus? Agendum
Est aliquid: menti praegrave torpor onus.
Postgenitis notescat, uti non segnia, Posthi,
Otia maluerit nostra Minerva sequi.

110) In Earinis [Schediasmata p. 82.]

111) XV Kal. Martii (15. Febr.) eum obiisse Anton. Musa scribit; alii rectius die Febr. tertio.

Fuit Melissus corpore procerus, facie decora, animo ac vultu plerumque serenus; ingenio perspicaci et ad inveniendum celeri; severitatem in sermonibus suavitate temperabat, comis erga omnes, pectore candidus, simulare aeque ac fallere adularique nescius; opum accumulandarum minime studiosus, licet multis Principibus virisque eruditissimis esset charus. Quod vero ab inertibus adolescentulis, humaniorum literarum hostibus contemneretur, id flocci faciebat. Inter Poetas Germanos eo, quod vixit, saeculo, praestantiores numerandus quidem, nequaquam tamen Eobano Hesso aut Petro Lotichio praeferendus, licet Frid. Taubmannus in praefatione Virgilii Culici praemissa dicat: Vel unum Paulum Melissum Francum Poetis omnibus novitiis, qui et ubi sint cunque, non componere solum, sed praeponere etiam vix dubitaverim. Franciscus Portus Cretensis eum Poetarum regem; nonnulli Latinum Pindarum,[112]) vatem mellitissimum, pium optimumque appellaverunt. Joan. Posthius eundem Orpheo carminibus harmonicisque sonis celebri comparat; J. B. Rotanus Patavinus Melissum alloquens canit:

Vincis Orphea suaviter canendo,
Vincis carmine caeteros Poetas
Docto, Jupiter, et laborioso.
Quid te dulcius elegantiusve?

---

112) Joan. Caselius in epist. ad Thomam Zamoscium Pindaro Melissum in eo comparat, quod egregiam Lyrici carminis pangendi facultatem non in nugas aut viles homines sed in res magnas et viros eximios transtulerit. In epist. LII ad Albertum Clampium narrat magnum Zamoscium sibi et Melisso misisse sui vultus exempla ex auro solido anno MDCI Non. Sept.

Multi versus, qui ei in juventute facili vena profluxere ex Nicolai Reusneri judicio venusti profecto, suaves, dulciculi et elegantes sunt.[113]) Non eandem suavitatem habent carmina, quae in senectute texuit, aut quae in peregrinationibus, animive oblectandi, taediique fallendi caussa extemporali calore fudit. Hinc a quibusdam ejus Odae saxeae nominatae sunt.[114]) Veteres Latinos Poetas imitari et ad eorum elegantiam propius accedere studuit, quod in Parodiis passim consecutus est. Nulla quippe, ut ipse ait, carmina aetatem ferre aut vivere possunt, nisi veterum sint imitata decus.[115])

Ad Poeticas tamen ineptias, versus Leoninos, acrostichides, anagrammata[116]) interdum delapsus est. Modeste de se quandoque loquitur.

---

113) In Miscell. appendice.

114) Vid. Morhof. Polyhist. T. I. L. VII, c. 3. — Melissus Parodiar. L. I Hieronymi Wolfii stilum laudans, suum Ennio scabriorem fatetur esse.

115) In Calliope ad Joan. Sambucum.

116) Anagrammatum usum Joan. Auratus, Melissi amicus suscitavit. Morhof. Polyh. T. I, L. VII, c. 3. Fertur Melisso aetate jam confecto in somno sequens versus quondam occurrisse:

Grata superveniet, quae non sperabitur hora.

Ex hoc alius Poeta, Lichtensteinius dictus transpositione literarum hunc versum:

Est ventura Rosina, parataque nubere pigro

conflavit. Anton. Musae Singularia de viris erudition florentibus. Errat hic pseudonymus Musa scribens, Melissum uxorem duxisse Rosinam; de Rosina saepe loquebatur, scribebat, somniabat; sed quae ei nupta fuit, vocabatur Aemilia.

Nam nec nobilium me fieri puto
Vatum, nec mea cedris
Insculpent metra posteri,

scribit ad Giphanium in Melicis [Schediasm. p. 15]; et in Calliope ad Lud. Masurium:

Principibus vatum tamen additus asseror. Ecquid
Obsecro, restat adhuc, mi Ludovice, mei?
Pauca lacessitae praeter schediasmata telae,
Judice vix ipso me satis apta legi.
Umbra sequax veterum reneo subtegmina tramae;
Sed procul illorum stamine corpus abest.

At saepius ipse se laudat, ingenioque Poetico et Musico gloriatur. Parodiar. L. I Melpomenen alloquens cantat:

Muneris hocce tui totum est: quod inaudio passim
Romanae fidicen Teutonicaeque lyrae;
Quod digito monstror per vicos urbis euntum,
Quod spiro et placeo, si placeo, omne tuum est.

In Emmetro:

Pauciorum unus inter aevi
Lumina rara legar, meritus
Laureâ aureoque torque
Et chlamyde praecingi, et ense
Et calcaribus aureis . . .

Ad Buchananum in Melicis [Schediasm. p. 9]:

— — — — me multiplici sono
Natura pangendos amoene
Harmonicos docuit canores.
His Rhenus, his perstrepit Ister; et
His Albis, his tu reboas Sali:
Hos Moenus audit, Nicrus audit:
Hos et amant mea cura Nymphae.

Quosdam carminum libellos cremavit. Caussam in Earinis [Schediasm. p. 62—63] indicat Paulo Sibero

Heroum celebres, Sibere, laudes
Et fortissima principum virorum
Cum describere facta non gravarer;
Illi carmine pro laborioso
Vati praemia reddidere nulla.
Post me composui leves ad aures
Vulgi, queis Elegi placere nostri
Coeperunt; sed inanibus poëtam
Me per ludibrium vocare verbis
Quosdam non puduit, genus Cyclopum:
Ira tunc ego fervida tumescens
Omnes, quotquot erant, meos libellos
Statim Mulciberi dabam cremandos.

Quae de quinque Elegiarum libellis supererant, eas Nithardo Thüngeno dedicavit.[117])

Multa Epigrammata Graeca ex Anthologiae libris Latine vertit, eumque fidelis interpretis officio functum esse, Henr. Stephanus testificatur. Speciminis

---

117) De libellis crematis scribit etiam in Melpomene ad Andream Charopum:

Multa quidem temere Gallas abiturus in oras
Mulciberi flammis ipse cremanda dedi.

In Calliope, in Posthii Poemata;

Ignibus immeritis Schediae syntagmata chartae
Ante novem messes cuncta cremanda dedi.

Ibid. ad Ludov. Masurium:

Sic mihi funereas sensere decennia flammas
Carmina sub quinis texta voluminibus.
Tunc ubi me Genius Ligerinas ferret ad undas
Pannoniae vacuum turbine militiae.

caussa adjicimus hic Graecum Meleagri Epigramma cum interpretatione H. Stephani, Melissi et recentioris in Meleagri editione per J. C. F. Manso Jenae 1789. [LVI p. 27.]

Δεινὸς Ἔρως, δεινός. τί δὲ τὸ πλέον, ἢν πάλιν εἴπω,
Καὶ πάλιν, οἰμώζων πολλάκι, δεινὸς Ἔρως;
Ἡ γὰρ ὁ παῖς τούτοισι γελᾷ, καὶ πυκνὰ κακισθεὶς
Ἥδεται· ἢν δ' εἴπω λοίδορα, καὶ τρέφεται.
Θαῦμα δ' ἐμοὶ πῶς ἆρα διὰ γλαυκοῖο φανεῖσα
Κύματος, ἐξ ὑγροῦ, Κύπρι, σὺ πῦρ τέτοκας.

Steph. Saevus amor, saevus. Quid lucri est, terque quaterque
Multis cum lacrymis dicere, saevus amor?
Namque accusantis mea ridet verba puellus,
Pascitur et probris, quae mea lingua jacit.
Hoc, Venus, admiror, cum tu sis fluctibus orta
Ex undis flammam quei peperisse potes.

Meliss. Dirus amor, dirus. Quid erit, si dixero rursum,
Saepius et plorans dixero, dirus amor.
Nae puer haec ridet, multumque diuque reprensus
Gestit, ubi impingam crimina, constat ali.
Hoc mirum est, quei caeruleo Venus orta profundo,
Quiveris ex liquido progenuisse faces.

Recent. Durus Amor, durus! Sed cur ego saepius idem
Conqueror et lacrymans ingemo: Durus Amor!
His puer irridet, patiens mala, mente triumphat,
Nec dolet opprobriis, sed magis hisce viget.
Mirum prodigium, quod glauca ex aequoris unda
Tantum ignem genuit Cypria, nata maris.

Non raro usurpat antiqua, obsoleta, a se ficta, minus nota vocabula, ut facul, sanguen, emoriri, levigyre, nubisector, jugigerule, tumidigrada, semalgida, semicalda febris etc., ut metris suis aliquem antiquitatis colorem ad modum Virgilii allineret. Linguarum Gallicae, Italicae, Anglicae et Belgicae fuit gnarus. Ex Joannis et Caroli Utenhovii versibus Melissum Isagogen in linguam Theodiscam scripsisse discimus.[118] Cacographiam vulgarem perstringens dicit, rectae rationis amussi legem orthographiae suae niti: se velle, ut nil deficiat, nil redundet.[119] Magnam quoque laudem suis sibi cantionibus comparavit, multasque ex iis publici juris fecit. De iis ad Ludovicum a Saena scribit:

Treis parvos, Ludovice Comes, tibi dono libellos
Sincerum Schediae dexteritatis opus.[120]

In Miscellorum appendice leguntur Graeca, Latina et Gallica carmina Melissum et Poetam et Musicum laudantia; brevissimum G. Fabricii Chemnicensis afferimus:

Carmine sunt, quos Musa beat, quos Musica cantu,
Sed solos: Schedio Phoebus utrumque dedit.

Opuscula sua dedicavit viris illustribus, doctorum hominum bonarumque artium patronis: Melica Julio Echtero, Episcopo Wirceburgensi; Hendecasyllabos Joan. Egolpho Cnoeringo, Episcopo Augustano Elegidia ignibus erepta Nithardo Thüngeno, Equiti

118) In Miscellorum appendice.

119) In Calliope.

120) Addenda Musis.

Franco; Miscella et Felicis Fidleri[121]) Flumina annotatiun culis illustrata Thomae Redigero; Musas Hermanno et Hermanno Adolfo Comitibus Nuenariis; Josepho Scaligero Schediasmatum reliquias; Epigrammata e Graeco translata et Spinas Ludovico a Saena Comiti Witgenstenio aulae Palatinae Praefecto, quem saepe laudat et rogat, ut sibi obscuro et fere mortuo lucem vitamque dare velit.[122]) Id rogasse videtur, cum stipendium parce praeberetur. Miscellorum appendicem inscripsit Francisco a Galen Praeposito Selzensi. Libros a viris doctis editos praefixis Odis commendavit, ut Guidonis Pancirolli de novis repertis libros ab Henr Salmutho ex Italico Latine redditos, Xylandri editionem Horatii, Goldasti Alamanicarum rerum scriptores veteres; Freheri Tomum primum Germanicarum rerum scriptores veteres continentem editum anno MDC; cum secundus in lucem daretur, Melissus jam exspiraverat. In Oda ad Joan. Leunclavium, Dionem Cassium edentem, suae Rosinae adhuc MDLXXXXII meminit his in versibus:

— — — In vepribus latendo
Hamata ruspor spicula Cypridis,
Supplex, ut annis quam cecini quater
Effictor octonis, apisci
Mi liceat niveam Rhodanthen.

---

121) Felix Fidlerus Borussus fuit Poeta laureatus. Germaniae flumina carmine elegiaco descripsit. In castris Caroli V urbem Metensem obsidentis febri correptus et inde Theonvillam mense Januar. delatus e vita migravit tertio die, postquam ei crus sinistrum frigore emortuum fuerat resectum. In Georg. Sabini carminum libro adoptivo exstant quaedam hujus Poetae Elegiae.

122) In Spinis.

Freheri editio operum Joan. Trithemii in fronte partis prioris habet Melissi Oden ad Julium Episcopum Wirceb. Pars posterior ad Joan. Adamum ex Bickenorum familia designatum Archiepiscop· Moguntinum. Julio, cum anno MDLXXIII Wirceburgensium Antistes fuit electus, versibus hexametris gratulatus est, cupiens post varios vitae viaeque casus in patria requie potiri.*) Psalmos a se translatos eidem commendavit:

— — Tibi merito, siquidem doctissime Princeps,
Tu modo nunc Salicis praedominaris aquis,
Davidis harmonias sacrat Polyhymnia Francum
Quod decuit regem (Carolum M.) dedeceatne Ducem? [123])

Ab ejusdem liberalitate sperabat nummos, cum propter aurivorum iter flaccida tantum restarent marsupia.[124])

Inter eruditos eo, quo vitam agebat, tempore vix ullus fuerat, quem non laudaverit, aut habuerit amicum, aut cujus non meminerit. At fuerunt etiam Zoili et inimici, qui eum carperent aut inviderent, haud pauci, quos fictis nominibus compellans acriter insectatur, ut Macrum:

Carmina, nil mirum est, jejuna quod exaro: namque
Ebria te, sed me sobria vita juvat.
Hoc mirum est, quod tam jejune quaelibet audes
Scripta Theonino rodere dente, Macer.

---

*) [Schediasmata p. 133.
Post varios sané casus vitaeque viaeque
Conveniet metas gravium posuisse laborum
Privoque indormire toro, requieque potiri.]

123) In Polymnia.

Vinosum:

Ebrius es, Vinose, diu noctuque, nec intra
Sex annos cerebri sobria cella tui est.
Quei scis judicium de Psalmis ferre Melissi?
Vah! Critico debet non titubare caput.

Petrum:

Scribere me culpas Epigrammata longa, Petrisce;
Ignoscas; viden' ut sim quoque longus homo.
Scribere te laudo (quae vix Epigrammata) curta:
Ignoscoque libens; es Petre curtus homo.
Sic mea, Petre, precor, longiscant tempore longo;
At tua curtentur tempore, Petre, brevi.

Sic et Cothurnum, Mallium, Olfum, Ollymum, Pinam, aliosque multo sale defricuit.

Contra vero Poetas probos et honoribus dignos non laudibus tantum, sed Poetica etiam lauro, quod Comes Palatinus esset, libentissime condecoravit. Erant Melissi aetate non pauci, qui Poetae laureati nomen et honores appeterent. Licebat eis, ubicunque vellent, in artis Poeticae facultate publice legere, docere, scribere etc.;[125] licebat uti cera rubra.[126] Cum

---

124) In Terpsichore.

125) Vid. Seldenus de titulis honorum.

126) Melic. L. IV, mel. 20.

Ergo cape Daphneia serta verticemque
Redimitus honestum fruere, his perenne in aevum,
Gaudens veteri jure, quod obtinent poetae
A Caesaribus Romuleis ritè creati:
Simul aureolo lauriger annulo rubraque
Cera (quia fas) utere . . .

In Oda ad Gravinum laurea a se cinctum:

laurea dabatur annulus aureus in consessu virorum nobilium literasque amantium, qui ad solemnem hunc actum invitabantur. Inter eos, quibus Melissus lauream dedit, aut misit, fuere Matthias Stephani,[127] Andreas Gravinus,[128] Daniel Vechnerus, Pancratius Crugerius, Andreas Mergiletus, Thomas Aleutnerus, Abrahamus Scultetus, Melior Laubanus ambo Silesii, et pererudita virgo ex Anglia Elisabetha Joanna Westonia, cujus et quorundam Poetarum, quos laurea dignos censuit, laudes exstant in Melicorum libris tertio et quarto. In tertio scribit ad Janum Gruterum, se in Criticos ira accendi, quod Virgilio optimo, castissimoque Poetae Priapeia attribuerint. Errorem inde natum, quod in manu exaratis codicibus literas V M iis praefixas invenerint, ideoque putasse, indicari Virgilii Maronis nomen, cum potius de Valerio Martiale sit intelligendum; hunc solum auctorem esse omnium illorum obscoenorum versuum, idque ex simili loquendi ratione satis cognosci.

In hendecasyllabis Paulo Sibero Me-

— — — — — addoque publicum
Jus privilegI, quo meritissimo
Gaudent et utuntur poetae
Caesarei, quibus annulorum
Ceraeque rubrae portio contigit

127) Hunc Heidelbergae anno MDLXXXXIX die XIX Aprilis lauro condecoravit. Jam anno MDLXXXXV ibidem laureatum Poetam creaverat Petrum Lindebergium Rostochiensem, quem ei Henricus Ranzovius commendaverat.

128) In Gravini operibus est Ode, qua Melisso Germaniae, ut eum appellat, Apollini ob collatam lauream gratias agit. In Elegia in Melissi obitum.

lissus commemorat, se, quod mollicellos non duros versus faceret, ceu amatorium Poetam argui.*) Si ab illis, quae in fictam Rosinam panxit carmina, discesserimus, vix quidquam, quod Cyprum redoleat, aut castos animos offendat, in superstitibus poematiis occurret. Nam et moribus probis eum fuisse, et quos reliquit, libelli, et qui eum noverant amici, testantur. J. B. Rotanus Patavinus Schedium, piorum Poetarum regem regia corona dignum fuisse, asserit.[129]) Nathan Chytraeus praeclare eundem laudat:

Hoc pectus, — scribens, — plenum fidei, pietatis, amoris,
Atque adeo castae sobrietatis amans.[130])

Melissi opuscula legentes facile cognoscent, eum ebrietatis hostem, amicum sobrietatis fuisse et temulentorum Teutonum compotationes acri perstrinxisse stilo. Cum Joan. Posthius voto sese obstrinxisset, nunquam immodice, more Germanis consueto vinum se potaturum, atque ut propositi semper memor esset, in digito minimo annulum se gerere, scripsisset, respondit Melissus,[131]) se, qui Gallis et Ausoniis testibus

---

*) [Schediasm. in Earinis p. 63.
Jam versus quia fortè mollicellos
Nec duros facio, quibus virentem
Oblectem modo transigamque vitam;
Amatorius arguor poëta,
Qui captem Veneresque Gratiasque.]

129) In Lilieto.

130) Ididem.

131) In Miscellis. [Schediasm. p. 169—170. Posthius:
Quale sit hoc, Domino quod vovi nobile votum,
Carmine Paule meo certior esse cupis:

semper fuisset sobrius, praeclarum hoc exemplum esse imitaturum. Narrat Mart. Crusius,[132]) se a Melisso anno MDLXXIV die Maii XXIII accepisse libellum hac inscriptione: Collegii Posthi-Melissei votum, hoc est, ebrietatis detestatio atque potationis saltatonisque ejuratio. Amethystus princeps sobrietatis. Infra pictus erat annulus cum gemma amethysti inclusa: in annuli ambitu verba haec: votum sanctum Domino. ἐν οἴνῳ ἀσωτία. Circa annulum floreum sertum viride. In extrema charta nomina eorum, qui sobrietati vota nuncuparent. Joan. Posthius, Medic. D., Paulus Melissus Schedius, Poeta laureatus, Nicol. Clemens, Nic. F. Cunratus Albinus, alias Weiss,

---

Nempe quod immodico perfundere tempora Baccho
Non unquam, superat dum mihi vita, velim.....
Hujus me memorem voti facit annulus iste,
In digito minimo quem mea dextra gerit.
Hunc similem, si me redamas, tibi Paule parabis,
Ut simili posthac tu quoque lege bibas.

Melissus respond. (Schediasm. p. 170—171)

Sobrius his (Socraticis moribus) nomen meritumque indeptus honorem
(Testibus et Gallis Ausoniisque) tuli.
Nec queo non laudare tuum, carissime, votum
Pars ego votivi prima sodalitii:
Tu modo fac choreas restim ductantis ineptas
Ejures simili, ceu prius ipse, modo.
Firmet id ambito mihi circulus aureus orbe,
Quem manus articulo dextra minore gerat.
Lurcones primis sum detestatus ab annis
Hos et ad extremos exsecror usque dies.]

132) In Germanograeciae L. IV.

Bruno Seidelius, Bartholomaeus Hubnerus, Joan. Lauterpachius P. L., Nicolaus Rudingerus, Benedictus Arias Montanus, Stephanus Feierabend J. C, Joan. Christoph. Fuchs, Eq. Fr., Joan. Scheiferus P. L, Sebastianus Fridelius, Joan. Lambinus, Andreas Wilckius, Henricus Petreius, Joan Lucienbergius, Joan. Stechmannus.

Ad hanc virorum sobriorum societatem Crusius libenti animo accessit, Elegiamque Graecam adversus ebrietatem misit, quam rogante Melisso Latine ad verbum transtulit; utraque exstat in Miscellorum appendice Eandem postea Latine, etiam carmine Elegiaco expressit. In hoc collegium plures cooptare Melissus et socii frustra studebant, id quod Nic. Rudingero nuntiavit his versibus :[133])

Legis juridicae foro diserto
Addictos studeo tenore voti
In nostrae numerum sodalitatis
Aggregare; sed aut verentur ut stent
Pactis, aut metuunt sibi futurum
Hoc fraudi; siquidem ducum per aulas
Nullis esse fere locum relictum
Ajunt, ni didicisse censeantur
Potare egregie; nec (ut probatum est)
Doctores alios suis in aulis
Quosdam posse libentius videre
Quam scitos genialiter bibendi. . . . . .

133) In Earinis. [Schediasm. p. 97—98.]

Pauci simus, et invicem colamus
Haec consortia nostra, tremulentae
Hostes ebrietatis et choreae
Bacchantum.

Hoc Posthi-Melisseum votum collaudaverunt et in ebrietatem invecti sunt versibus Latinis Henricus Stephanus, Joan. Jac. Boissartus, Nicol. Rudingerus, Andr. Mergiletus, Gallicis Clemens Trelaeus.[134]) Libellum adversus ebrietatem etiam Principi Friderico Posthius et Melissus obtulerunt, successu haud irrito, vate nostro testante:[135])

Protenus Ebrietas legumque Licentia pestis
Te Duce praecipue est vertere jussa solum.
Sic mores sanctos in patria regna reducis,
Quos ego, quos votis Posthius ecce probat.

In Paraeneticorum L. II Fridericum IV monet, ut ebrietatem ceu pestem cruentam fugiat, semperque gerat corda sobria. Ostendit etiam re et nomine absurdum esse pro alterius salute bibere. At, inquies,

Non igitur memores absentum simus amicum?
Imo ubivis. Sed quid Bacchus ad hosce facit?

Alia quoque monita, quibus Friderici animum imbuere magnae ipsi curae fuisse videtur, praeclara sunt. Ubique in Meletematum et Paraeneticorum libris pios animi Christiani motus prodit. Calvini et Bezae asseclam fuisse, si non aliunde, vel ex hoc constaret, quod de filio suo dicit:

---

134) In Miscellorum appendice.
135) In Thaleia.

Discat in primis clementa cultûs
Mystici, et verae pietatis usum;
Qualis in templis viget ad Lemanni
Stagna Nicrumque . . .[136])

Et haec fere sola caussa, quod Calvinum sectaretur, ei saepe optatum in patriam reditum praecludebat. Julius enim Episcopus Wirceburgensis ditionis Protestantes aut ad religionem avitam redire aut alio migrare jusserat.[137])

Pauli Melissi poematia diversis temporibus, diversisque locis, nunquam tamen, quantum equidem scio, omnia simul collecta in lucem fuerunt data. Editiones, quae amicorum[138]) studio aut ex rariorum librorum catalogis mihi cognitae, aut quas ipse habeo, hae fere sunt:

Pauli Melissi poemata veneunt 1569.
Schediasmata Poetica Francof. 1574. 8.
Schediasmatum reliquiae. 1575. 8.
Die Psalmen Davids in deutsche gesangreymen etc. Heidelb. 1572. 8.

---

136) Meletematum L. IV, Ode XVI.

137) Vid. Gropp. T. I et III in vita Julii.

138) Imprimis veteris amici et quondam in Gymnasio Münnerstadiano Collegae, Engelberti Klüpfel, Theolog. in Academia Friburg. Professoris, qui me ad hanc commentationem conscribendam hortatus est, et multa mihi ad Melissum spectantia misit quam libentissime. [Amicitiae monumentum Possidio suo posuit Engelbertus Klüpfel in Necrologio sodalium et amicorum litterariorum, qui auctore superstite diem suum obierunt. Friburgi et Constantiae in offic. libr. Herderiana. 1809. p. 279 — 284.]

Meletemata seu Schediasmata. Lutet. Paris. 1586. Voll. 2. 8.

Mele seu Odae ad Noribergam et Septemviros. Reip. Norib. 1580. 4.

Odae Palatinae etc. Heidelb. 1583. 4.

Epigrammata in urbes Italiae cum ejusdem Odis. 1585.

Paraenetica illustrissimo Principi Friderico etc. dedicata. 1587. 4. Heibelb.

Parentalia in obitum Joan. Casimiri. Heidelb. 1592. 4.

Emmetron in nuptias Frid. IV Elect. modul. a P. Melisso, accedunt Posthii, Freheri, Gruteri Epigrammata. 1593. 4.

Meletematum piorum libri VIII etc. Francof. per Hier. Commelinum. 1595. 8.

Jani Dousae et Pauli Melissi Musae errantes per Justum Grisium, Francof. 1616. 8.

P. Melissi Schedii Franci Germani Schediasmata cum Fidleri fluminibus Germanis recognita, cum indice gemino et notis, curante Valent. Hartung, Philos. et Med. D. Halae Sax. impensis Caspari Closmanni. 1625. 8.

E tribus his postremis editionibus pleraque ad Melissi vitam et mores attinentia collegi. In Halensi editione continentur haec: a) Melica, b) Earina sive Hendecasyllabi, c) Elegiae, d) Carmen heroicum de Julio Episc. Wirceb., e) Miscella, f) Fidleri flumina, g) Schediasmatum reliquiae sive addenda Musis, h) Musae, i) Epigrammata Musis adjicienda, k) Epigrammata e Graeco translata, l) Lilietum Cygneum sive virorum clarorum Epigrammata in Melissi insignia et effigiem, m) Miscellorum appendix, n) Spinae. In Francof. edi-

tione per Justum Grisium sunt Melicorum libri quinque, Earinorum libri duo et totidem Miscellorum. Halensis Melicorum libros tres posteriores non habet.

Melissum multa panxisse carmina, quae in nulla opusculorum Schedianorum collectione inveniuntur, certum est. Ex iis nonnulla ceu appendicem Melisseorum Schediasmatum nostrae de ejus vita commentationi addemus. [Quae adjecta sunt XVII Melissi ad alios carmina et XV aliorum ad Melissum, alia scribendi occasione data Schedianae Musae amicis trademus.]

INSIGNIA MELISSI.

MANET IMMUTABILE FATUM.


LIBRARY OF CONGRESS
0 003 097 859 6